

mora.¹ Et quamquam in illa sic omnes moriantur, tamen volui intrare ut viderem finaliter quid hoc esset. Dum sic autem vallem ego intrassem, ut jam dixi, tot corpora mortua ibi vidi quod nisi aliquis illa vidisset quasi sibi incredibile videretur. In hac etiam valle ab uno latere ejus in ipso saxo unam faciem hominis valde² terribilem ego vidi, quæ in tantum terribilis erat quod præ nimio timore spiritum me perdere penitus credebam.³ Qua propter⁴ VERBUM CARO FACTUM EST continue meo ore proferebam. Ad ipsam faciem nunquam fui ausus totaliter appropinquare sed ab ipsa vii vel viii passibus distans ego fui. Cum autem illic accedere non auderem, ad aliud caput vallis ego ivi⁵ et tunc ascendi super unum montem arenosum, in quo undique circumspiciens nichil videbam præter illa achara⁶ quæ pulsari mirabiliter audiebam. Cum autem in capite montis ego fui illic, argentum reperi in maxima quantitate, ibi, quasi squamæ piscium, congregatum de quo posui in gremio meo.⁷ Et quia de ipso non curabam⁸ illud totaliter in terram projeci. Et sic dante Deo inde illæsus exivi. Deinde omnes Sarraceni cum hoc sciverunt reverebantur me multum, dicentes me esse baptizatum et sanctum; illos autem qui erant mortui in illa valle dicebant esse homines demonis infernalis.⁹

50. *Unum refert de magno Cane Fr. Odoricus.*¹⁰

Unum referam de magno Cane quod vidi. Consuetudo est in illis partibus quod quando prædictus dominus per aliquam contratam transit,

¹ *Hak.* Et ideo omnes de contrata declinant a latere. Et tentatus eram intrare et videre quid hoc esset, *and so on, telling the same story, but in words generally quite different; Mus.* agrees as usual with *Hak.*, but expresses things a little more wordily.

² *Ven.* Maximum et terribilem.

³ Videbam.

⁴ *Ven.* Cum signo crucis.

⁵ *Ven.* simply Ivi tandem ad aliud caput vallis.

⁶ *Ven.* nihil videbam nisi quod audiebam Nachera illa pulsare; *Hak.* nihil vidi nisi cytharas illas, etc.; *Mus.* has the like.

⁷ *Hak.* adds pro mirabili ostendendo, sed ductus conscientiâ in terram projeci nihil mecum reservans, etc.

⁸ *Ven.* et timens etiam ne tali illusionem forte mihi denegare exitus.

⁹ *Hak.* demonum infernalium qui pulsant cytharas ut homines alliciant intrare et interficiant. Hæc de visis certitudinaliter ego Fr. Odoricus hic inscripsi; et multa mirabilia omisi ponere quia homines non crediderint nisi vidissent.

¹⁰ *Here occurs one of the marked differences in the copies. For at this place the copies Far. and Boll. conclude Odoric's narrative and introduce his attestation of veracity, Ego Frater Odoricus, etc., as below. After this they add an appendix, as it were: Notandum quod ego frater Marchesinus de Bassano de ordine Minorum ista audivi a fratre Odorico predicto, ipso adhuc vivente, nam plura audivi quæ ipse non scripsit. Inter alia quæ ipse locutus est hoc quoque dixit. Nam dixit quod semel dum Canis Magnus iret in Cambalec [de] Sandu ipse frater Odoricus erat cum iiiior fratribus minoribus sub una arbore quæ plantata erat juxta viam per quam ipsum Canem transitum facere oportebat. Unus autem istorum fratrum erat episcopus. Cum autem iste Canis cœpit appropinquare iste episcopus induit se habitu episcopali, et accepit crucem et posuit eam in fusto, et tunc isti iiiior fratres inceperunt altâ voce cantare ymnum VENI CREATOR SPIRITUS. Et tunc Canis Magnus hoc audito rumore interrogavit quid hoc esset. Tum illi iiiior barones qui erant juxta eum dixerunt quod erant iiiior Rabani Franchi. Tunc ipse Canis fecit eos ad se accedere. Ille autem episcopus acceptâ cruce de fusto tradidit eam osculandam ipso Magno Cane. Ipse vero jacebat, et statim visâ cruce erexit se in sedendo, et deposito galerio de capite crucem fuit devote et humillime osculatus. Iste autem Dominus unam consuetudinem habet. Nam nullus*